

58. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 40. q. 2. & seqq. Bassæo verb. *Matrim.* §. 4. num. 18. Bonacina q. 3. punct. 1. num. 6. Diana 4. p. tract. 4. resol. 70. & seqq. Basilius Ponze lib. 7. de *Matrim.* cap. 32. Rebellus lib. 3. cap. 5. & seqq. Gavardi tom. 6. q. 3. de *Matrim.* art. 4. & seqq.

59. QUÆST. 4. An in primo gradu lineæ transversalis, sive inter fratrem & sororem lex naturalis irritet Matrimonium? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 9. & in 4. dist. 40. q. 1. art. 2. Gonet tom. 5. tract. 8. disp. 9. art. 3. Sotus in 4. dist. 40. q. unic. Reding tom. 8. q. 12. art. 1. *Controv.* 2. & 3. Calsianus à S. Eliâ tom. 1. verb. *Matrim.* cap. 22. §. 6. Anton. à Spirit. S. tom. 1. tract. 11. disp. 7. sect. 8. §. 1. & seqq.

60. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 40. q. 1. Mastrius in 4. disp. 7. q. 17. art. 1. Macedo de *Clavib.* tract. 6. de *Matrim.* cap. 10. Carriere tom. 2. art. 22. q. 5. Cotonijs tom. 1. lib. 5. *Controv.* 1. cap. 5. q. 3. num. 303. Frassen tom. 4. disp. ult. art. 3. §. 12. & seqq. Castillentus in *Polyanth. Seraph. verb. Matrim.* diff. 20. num. 1. Hiquæus in 4. dist. 40. q. 1. art. 1. Durand tom. 4. tract. 5. disp. ult. q. ult.

61. Ex Scholâ Eximiâ Toletus lib. 7. sum. cap. 7. num. 2. Carleton tom. 2. sect. 1. Dicastillo tom. 3. tract. 10. disp. 7. dub. 23. Sanchez lib. 7. de *Matrim.* disp. 52. num. 11. Tambur. tom. 2. lib. 8. cap. 5. §. 1. Mart. Perez de *Matrim.* disp. 28. sect. 5. Valentia tom. 4. disp. 10. q. 5. punct. 3. Lugo de *pœnit.* disp. 16. num. 142. Henriquez lib. 22. de *Matrim.* cap. 4. Maratius de *Matrim.* disp. 9. sect. 7.

62. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 40. q. 2. art. 1. & seqq. Diana 4. p. tract. 4. resol. 70. Bonacina q. 3. punct. 5. §. 1. Bassæo verb. *Matrim.* §. 4. num. 18. Rebellus lib. 3. q. 5. Basilius Ponze lib. 7. de *Matrim.* cap. 31. Gavardi tom. 6. q. 3. de *Matrim.* art. 4. & seqq.

63. QUÆST. 5. An Pontifex possint dispensare in impedimentis dirimentibus? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 11. Labat tom. 7. disp. 6. dub. 8. §. 1. & 2. Contenson tom. 2. lib. 11. p. 4. dissert. 1. cap. 2. specul. 3. Gonet tom. 5. tract. 8. disp. 6. art. 2. §. 3. Joan. à S. Thomâ tom. unic. disp. 29. q. 88. art. 18. & 19. Prado tom. 2. cap. 31. q. 14. §. 1. & 2. Capisuchus *Controv.* 11. q. unic. Anton. à Spirit. S. tom. 1. tract. 5. disp. 2. sect. 38.

64. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 38. q. unic. Macedo de *Clavib.* tract. 6. de *Matrim.* cap. 10. Durand tom. 4. tract. 5. disp. ult. q. ult. Cotonijs tom. 1. lib. 4. *Controv.* 5. cap. 5. Mastrius in 4. disp. 7. q. 20. art. 1. Portel in *dub. regular. verb. votum*, num. 5. Castillentus in

*Polyanth. Seraph. verb. votum*, diff. 3. num. 1. & seqq. Boscus tom. 6. disp. 12. sect. 13. Angles 2. p. q. unic. de voto, art. 8. diff. 1. & seqq.

65. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tract. de voto, lib. 6. cap. 9. Tambur. tom. 2. tract. 2. lib. 8. cap. 3. Castro Palao tom. 1. tract. 3. de legib. disp. 6. punct. 4. Sanchez lib. 8. de *Matrim.* disp. 7. num. 4. Gasp. Hurtado disp. 26. de *Matrim.* diff. 1. Carleton tom. 2. disp. 104. sect. 2. Filliucius tract. 10. p. 2. cap. 10. Layman tract. 10. p. 4. cap. 6. Dicastillo tom. 3. tract. 10. disp. 8. dub. 1. & seqq. Tannerus disp. 5. q. 6. dub. 6. Fagundes praecep. 2. lib. 2. cap. 40. Azor lib. 12. cap. 7. q. 1.

66. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 38. art. 2. q. 1. Bonacin. q. 3. punct. 15. num. 2. Bassæo verb. *Matrim.* 3. num. 1. & 2. Sylveira *Opuscul. var. resol.* 27. de potest. q. 1. Bartholomæus à S. Fausto lib. 3. q. 36. num. 3. Diana p. 8. tract. 1. resol. 73. Trullench tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 10. Gaudentius tom. 5. tract. 1. de voto, disp. 1. q. 8. & seqq.

67. QUÆST. 6. An Pontifex possit dispensare in voto solemnî castitatis? De quo, dist. 38. q. 4.

68. QUÆST. 7. An Pontifex possit licitè ac validè in impedimentis dispensare? De quo, dist. 37. q. 12.

69. QUÆST. 8. An Papa in impedimento ordinis dispensare valeat? De quo, dist. 37. q. 12.

## DE GRADIBUS AFFINITATIS.

### DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-PRIMÆ SYNOPSIS.

*Quod jus cognatos inhihet, connectier unâ  
Legitimè affines necit, idem minimè.*

Sic incipit: Nunc de affinitate.

Sic terminat: Nec uxoris frater.

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de impedimento cognationis carnalis, sive consanguinitatis; sed in præsentî determinat de impedimento affinitatis; ergo rectè hæc cum superiori consonat distinctio.

2. Consequentia probatur: Prius agendum venit de impedimento, quod primò, & per se afficit personam, quàm de eo, quod solum per accidens convenit ipsi; sed cognationis carnalis, sive consanguinitatis impedimentum primò, & per se quamlibet afficit personam, utpotè ab eodem principio, sive sanguinis stipite proveniens; & affinitatis impedimentum solum per accidens afficit, eò quòd tantum sit propinquitas personalis orta ex carnali copulâ licitâ, aut illicitâ, quæ accidentaliter advenit: igitur dum primò de impedimento consanguinitatis, & postmodum de affinitatis impedimento immediatè disserit Magister, rectè congruenterque procedit.

3. Dividitur præfens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum prima ostendit Magister, affinitatem impedire Matrimonium contrahendum, & contractum dirimere. In secundâ verò, quædam vitiorum distinguit genera. In tertiâ tamen, & ultimâ nonnulla affinitatum percenset accurata nomina.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ ostensione, hoc primum proponitur theorema: *Affinitas jure Ecclesie antiquo Matrimonium omnino impedit, sicut consanguinitas, sive carnalis cognatio.* Ante cujus probationem præmittit Magister quandam affinitatis explanationem. Est enim affinitas parentela quædam, sive personalis propinquitas, quæ ad virum ex parte uxoris, & ad uxorem ex parte viri pertinet.

5. Quia verò vir, & uxor una sunt caro, rationabiliter propinquitas, & parentela unius efficitur alterius, ut sit una utriusque. Itaque affinitas idem sonat, ac duorum ad unum finem unitas; quia omnes consanguinei maris fiunt consanguinei fœminæ, & è contra. His præsuppositis.

6. Probat primò assertum Magister ex Divo Gregorio dist. 35. q. 5. cap. de affinit. sic alloquente: *Quocirca ego, & soror uxoris meæ in uno, & primo gradu erimus; filius verò ejus in secundo gradu erit à me; nepotis verò in tertio. Idque utrinque in cæteris agendum est successoribus.* Sed positâ copulâ carnali inter virum & fœminam; quò gradu aliquis est consanguineus viro, eodem etiam est affinis mulieri; & è contra respectu uxoris: ergo si ex jure antiquo Ecclesie consanguinitas ob solam personæ propinquitatem impediabat Matrimonium ad septimum usque gradum; pari ratione affinitas ob eandem personæ propinquitatem debet in septimum usque gradum Matrimonium retardare.

7. Secundo etiam probat ex Julio Papâ ibidem, q. 2. & 3. cap. Nullum, dicente: *Equaliter vir conjungatur consanguineis propriis, ac consanguineis uxoris. Sed dum æquè vir copulari debet consanguineis*

propriis, ac uxoris consanguineis, impedimentum æquè versatur circa consanguineos, ac circa affines: ergo si consanguinitas retardat Matrimonium usque ad septimum gradum ex jure antiquo; ex eodem jure, & usque ad eundem gradum debet inter affines omnino impedire.

8. Tertiò similiter suadet ex Divo Isidoro ibidem, cap. *Sanè consanguinitas*, his verbis: *Sanè consanguinitas, quæ in proprio viro conservanda est, etiam in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est.* Sed consanguinitas in proprio viro usque ad septimum servatur gradum: ergo si in uxoris parentelâ consanguinitas custodienda est, quemadmodum in proprio servatur viro; etiam in septimum usque gradum reverà servanda erit.

9. Quartò, alio perspicuo ejusdem Julii Papæ testimonio roborat assumptum Magister in litterâ: *Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis, vel uxoris, usque in septimum generationis gradum, uxorem ducere; quia sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic nec de consanguinitate uxoris conjugem ducere propter carnis unitatem.* Sed nulli Christiano licet ex jure antiquo intra septimum gradum, de suâ consanguinitate uxorem ducere: ergo nec licitum erit de consanguinitate uxoris intra eundem gradum ducere uxorem; ac proinde æquè impedit consanguinitas, ac affinitas.

10. Quintò, idipsum firmat ex Gregorio nuper relato, & habetur in Concilio Meldensi, cap. de affinit. sub hac certâ verborum serie: *De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem observare. Nam & hæreditas rerum per legales definitiones sancita, usque ad septimum gradum hæredum protendit successionem.* Ergo quemadmodum rerum hæreditas protendit successionem; sic consanguinitatis affinitatem observare debemus; sed rerum hæreditas successionem protendit usque ad septimum hæredum gradum: ergo & adeundem numerum usque, consanguinitatis affinitas prohibitionem protendit.

11. Sextò ratione poterat præmuniri theorema: Turpitudine uxoris est turpitudine viri; sed turpitudine consanguineæ non est per actum conjugalem revelanda: ergo nec uxor viri in Matrimonium assumenda: ergo quia æquè erit discursandum de turpitudine consanguineæ, ac de affinis turpitudine; sed illa ex jure antiquo nequit in septimum usque revelari gradum: ergo nec ista poterit.

12. Septimò tandem ratione etiam stabilitur intentum: Proximitatis vinculum, tam in consanguinitate, quàm in affinitate, ex sanguinis unitate necessario resultat: ergò dum consanguinitas impedit Ma-

trimonium ob sanguinis unitatem; suppari jure, & affinitas ob eandem debet impedire rationem, cum vir & femina una sint caro ratione commixtionis seminum; sed consanguinitas Matrimonium retardat in septimum usque gradum: ergo & affinitas.

13. Sed oppones quamplures Patrum egregias auctoritates, quas Magister adducit in textus litterâ, & quibuscum innixè probare per- tentant, Matrimonium inter affines posse licitè ac validè in quartâ, & quintâ contrahi generatione; sive conjugia in quinto affinitatis gradu permitti, in quarto verò non dissolvi contracta: ergo non est necessè, quòd affinitas ad septimum usque gradum Matrimonium contrahen- dum impediât, & contractum dirimat.

14. Respondet Magister, auctoritates Patrum expendendas fore secundum misericordiæ dispensationem; non verò secundum juris ri- gorem, in quo sensu stabilitur assertum. Undè, etiam dispensari potest in copulâ affinium usque ad tertium gradum, quemadmodum Grego- rius dispensavit in quarto consanguinitatis gradu, ut claret ex textus distinctionis litterâ.

15. Hic tria consentaneè iis obiter inquiri Magister. Primò: An mortuo viro, vel uxore mox cesset affinitas? Et si mortuo viro, uxor contrahat cum alio, ab eoque suscipiat prolem, utrum proles illa possit per Matrimonium copulari consanguineis primi viri defuncti?

16. Ad primum respondet Magister, per alterius conjugum mor- tem, affinitatis rationem nullatenus spirare. Quod probat ex Gregorio relato dist. 35. q. 10. cap. *fraternitatis*, his expressis, & efficacibus verbis: *Si quis ergò sacrilego, & temerario usu in defuncto querit pro- pinquitatem extinguere, vel sub altero affinitatis vocabula dissipare, hic negat Dei verbum validum esse, quod dixit: Erunt duo in carne una: ergo affinitas reverà non spirat per alterius conjugum mortem.*

17. Ad secundum similiter respondet Magister, prolem susceptam ex secundo viro, non posse per Matrimonium copulari consanguineis primi viri. Et hoc observandum fore ad prædictos usque gradus secun- dum antiqua jura, quanquam aliter juxta nova; conjunctos verò, infra præfatos consanguinitatis, & affinitas gradus, Ecclesia sejungit.

18. Quod etiam suadet egregio Innocentii testimonio ibidem, cap. *Si qua mulier*, dicente: *Si qua mulier ad secundas nuptias transie- rit, & ex eis sobolem genuerit, nullatenus potest ad consortium cognatio- nis prioris viri pertinere. Hoc autem observandum est usque ad septi- mum generis gradum; sed maximè usque ad tertium, & quartum.* Ergo non solum manet ipsa affinitas, Matrimonio transeunte, verum & pro- les

les ex secundo viri suscepta, non potest per Matrimonium copulari consanguineis primi viri.

19. Hoc etenim sumitur ex jure antiquo statuente, affinitatem progignere aliam affinitatem impediens Matrimonium, v. g. Petrus duxit Mariam, ex quo frater Mariæ factus est affinis Petri; mortuâ ergò Mariâ, Petrus duxit Antoniam, ex quo etiam resultat affinitas inter fratrem Mariæ & Antoniam, nec contrahere possunt, quia mortuâ priori uxore, adhuc remanet affinitas cum ejus fratre, atque adeò frater Mariæ & Antonia non possunt contrahere, nec cum filiis ejus.

20. Secundò inquiri Magister, si dum in gradu prohibitio, etiam- que in conspectu Ecclesiæ, aliqui per ignorantiam contrahunt, si post- modum consanguinitate probatâ, ejusdem Ecclesiæ judicio separentur, utrum illa copula fuerit verum conjugium? Pro cujus exactâ succin- ctâque solutione, duplicem Doctorum adducit in litterâ opinionem Magister.

21. Prima sustinet, præfata copulam verum non fuisse conju- gium. Et rationem perhibet; quia non erant personæ legitimæ; sed so- lum copula inter legitimas personas verum constituit conjugium: igitur copula illa verum non fuit conjugium. Excusantur tamen per igno- rantiam de crimine, quia bonâ fide, & per manum Ecclesiæ conven- runt; filii verò eorum legitimi habentur.

22. Secunda opinio censet, illam copulam fuisse conjugium, quan- vis non essent personæ legitimæ. Primò; quia eorum filii habentur le- gitimi; sed si copula illa verum non foret conjugium, filii ex eâ sus- cepti non essent legitimi: ergo dum legitimi habentur filii, verum esse conjugium haud dubiè probant. Secundò; quia sacri Canones eorum conjunctionem Matrimonium vocant; sed si talis copula verum non fo- ret conjugium, Ecclesiæ Canones eorum conjunctionem Matrimonium non vocarent: igitur præfata copula rem, & nomen Matrimonii forti- tur. Magister hic suum non detegit sensum; lustrate tamen Tridenti- num Sess. 24. cap. 5.

23. Tertio, & ultimò inquiri: An ad dirimenda Matrimonia in gradu prohibitio contracta, aliqua necessariò solemnitas requiratur? Et respondet affirmativè Magister, dicens, juramenta propinquorum fore necessariò excipienda, quia tales magis, quam alii agnoscunt, & com- prehendant consanguinitatis gradus, qui inter virum, & uxorem inter- cedere possunt. Si verò hæc in probationis subsidium non sufficiant, jam pro ejus assequutione, alias in litterâ adhibet cautelas Magister.

24. Verum, cum ferè cuncta pro toto distinctionis progressu ha-

tenus ex Magistro tradita, reverà juri antiquo sint omninò consona, placuit, quanvis extra litteram, alia ex novo breviter adducere, ut affinitatis gradus, distantiamque inter affines ad validè & licitè Matrimonium contrahendum, quisque facile capere possit.

25. Affinitas igitur, cum sit personalis propinquitas, ex carnali copulâ proveniens, sive hæc sit licita, sive illicita; tot erunt gradus affinitatis, quot consanguinitatis, simulque suppari computandi serie in lineâ rectâ, & transversali. Hæc enim præ omnibus elucet præcipua regula, ut positâ copulâ carnali inter virum, & fœminam, quò gradu aliquis est consanguineus viro, eodem sit affinis uxori, & è contra respectu uxoris.

26. Quia ergò duo fratres sunt consanguinei in primo gradu, si unus ducat uxorem, alius est affinis uxoris sui fratris in primo gradu. Ratio est; quia vir & uxor sunt unum in carne unâ: ergo si unus frater est consanguineus alterius in primo gradu, necessariò erit affinis uxoris sui fratris in eodem gradu: ergo quò gradu aliquis est consanguineus viro, eodem est affinis uxori.

27. Undè, estò omnes consanguinei viri contrahant affinitatem cum uxore ejus, & è contra, omnes consanguinei uxoris cum ejus viro, nihilominùs consanguinei viri & uxoris non contrahunt affinitatem ad se invicem. Quod expresse constat; nam duæ sorores possunt duos ducere fratres; & pater, & filius matrem, & filiam; & filius mariti ex aliâ uxore filiam uxoris ex alio viro: ergo idè totum id subsistit, quia consanguinei non contrahunt inter se affinitatem, sed præcisè consanguinei viri cum uxore, & uxoris consanguinei cum viro.

28. His ita solidè pensatis, colligimus primò, affinitatem ex illicitâ copulâ proventientem, solum ad secundum usque gradum inclusivè Matrimonium dirimere. Sic statuit Sacrum OEcumenicum, & Generale Tridentinum Concilium Sessione 24. cap. 4. *Præterea Sancta Synodus, eisdem & aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, & Matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo, & secundo gradu conjunguntur, restringit: In ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere.* Hætenus Tridentinum.

26. Et ratio haud dubiè est; quia ex illâ copulâ, estò illicitâ, vir & fœmina quasi una caro fiunt: ergo quanquam ex illâ tantum non debebat impedimentum oriri, quantum ex copulâ licitâ; tamen in secundum usque gradum inclusivè protendi debet, eò quòd affinitas ex

ma-

maritali copulâ orta, in quartum protrahatur gradum. Undè, qui carnaliter cognovit matrem, filiam ejus in uxorem non valet ducere; nec è contra, quousque à secundo egrediatur gradu.

30. Secundò colligimus, affinitatem ex licitâ ac maritali copulâ ortam, Matrimonium dirimere in quartum usque inclusivè gradum. Nam suppari gressu Matrimonium dirimit consanguinitas, ac affinitas ex maritali copulâ proveniens; sed consanguinitas solum in quartum inclusivè dirimit gradum: ergo & affinitas. Præterea, hoc etiam definitum extat ab Innocentio III. in Lateranensi Concilio 4. Can. 5. & habetur ex Trident. Sess. 24. cap. 4.

31. Tertiò deducimus, nullam, ex copulâ contra naturam, affinitatem oriri, cum non fiat sanguinis mixtio, ut constat ex Urbano Secundo: At, ex copulâ coactâ, & invitâ resultat affinitas, quia tunc jam fit seminum mixtio. Ex Matrimonio verò rato sine copulâ non oritur impedimentum affinitatis, tametsi publicæ honestatis impedimentum oriatur. Tandem, affinitas adveniens Matrimonio rato, aut consummato non dirimit Matrimonium, cum hoc jure divino indissolubile sit; sed duntaxat privat incestuosum jure potendi debitum, si adveniat intra secundum gradum inclusivè. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficiant.

32. PRO SECUNDÆ verò partis perspicuâ indagine, hoc secundum statuitur theorema: *Inter raptum, stuprum, adulterium, incestum, & fornicationem notabile adest discrimen.* Quod solum pertentat probare Magister, eorum innitendo explanationibus, ut quisque postea distinctionem ex ipsis facile enucleare possit.

33. Fornicatio simplex, quæ est prima luxuriæ species, licet sit genus omnis illiciti concubitus, qui fit extra uxorem; tamen specialiter sumitur pro viduarum, vel meretricum, vel concubinarum coitu. En, ex dictis à Magistro, ejus exactam definitionem: *Concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu*, hoc est, quòd sit libera à Voto, Matrimonio, & Religione; nam aliter simplex non foret fornicatio, sed ex unâ harum circumstantiarum composita, expectaretque ad aliam luxuriæ speciem ratione circumstantiæ mutantis speciem.

34. Stuprum, quòd est secunda luxuriæ species, sic ex Magistro expenditur: *Illicita virginis defloratio ipsa invita.* Quia si consentiat in copulam, erit solummodò fornicatio simplex; & tunc deflorationis virginis circumstantia non erit necessariò in confessione aperienda, ut passim sustinent Doctores, quanvis plerique ex opposito sentiant.

35. Adulterium, tertia luxuriæ species, est alieni tori violatio, si

Tom. V.

R

ve